

2

DE FLUVIO

MEMELA LITHVANIÆ,

QVI CVRA ET INDVSTRIA

Generosi ac Clariss. uiri Domini Nicolai Tarso,
nauibus permeabilis factus est.

Carmen elegiacum.

A V T H O R E

ADAMO Schrôthero Silesio.



CRACOVIAE

Lazarus Andreae excudebat.

M D L III. ✓

GENEROSO

ACCLARISSIMOVIRO

Domino Nicolao Tarlo de Sczekarowice, Signifero Præmisliē. S. M. R. Aulico hæredi in Arce Laski. &c. Domino suo obseruandissimo,

ADAMVS Schrötherus Silesius.

NULLI DVBIVM ESSE POTEST, Magnificè ac Generose Domine Tarlo, eam demum ueram, perfectam, & solidam esse laudem, quæ à uiris laudatis proficitur. Cum igitur omnium orè, à uiris magnis, excellentibus, ac omnino laudatis, ob singulares & animi & corporis tui dotes, ob singularem prudentiam, eruditionem, & doctrinam, plurimarum rerum usum, & experientiam, animiq; magnitudinem, uirtutem, & industriam, cum alijs plurimis & arduis in rebus, tum præsertim maximeq; quod iam fortissimo animo, infracta, & insuperanda uirtute, singulari consilio, & prudentia, & laboris constantia fluium Memelam, qui prius scopulis eminentioribus innauigabilis, permeabilem & nauigationibus aptum perfeceris, te magnis & eximijs laudibus euehi, prædicari, & in cœlum usq; extolli audias: Propterea quod ex ea re, magna commoda, & infinite utilitates, non tam populis Lithuanie, & negotiatoribus, quam toti Regno, regioq; ærario prouenturæ sint: iure tibi gratulari debes, diuinitus uirtutis tue tam graues testes tibi contigisse. Quantam enim uoluptatem, optimum & sapientiſ. huius Regni Principem SIGISM. AVGV. ex his tuis meritis cœpiſſe existimas? Qui cum pro sua singulari sapientia intelligat, quibus in rebus uera gloria posita sit, haud dubiè foelici euentu harum rerum mirificè commotus est. Et quamuis semper plurima præclari ingenij ac uoluntatis optime, signa in te perspexerit antea, tamen postq; tua uirtus, iam quasi ex umbra in Solem, ac quodammodo in aciem producta, multo illustrior facta sit, longè maiori studio te complexurus est. Ego igitur cum non solum S. R. M. tuam uirtutem admi-

tutem admirari, sed & omnes bonos magnifacere & laudare uideam, uel
luti unus de populo, te propter has uirtutes, & admiror & amo: meq;
non exiguum operapretium facturum uideor, si et meo suffragio, pro qua-
licunq; ingenij mei tenuitate, præclaram tuam famam celebrem: Indignum
uidelicet existimans, istam tuam egregiam laudem non ad omnem posterita-
tem propagari debere. Nam hic honor debetur uirtuti, ne patiamur eam
obliuione obrui. Et quamuis bona fama ad aliquod tempus durat, tamen
nisi hæc eadem literis consecrata posteritati commendetur, temporis diu-
turnitate & iniuria tandem intermoritur. Quæ uero literis & Poëtarū
monumentis mandatur, multò stabiliora sunt, neq; ullo uero obliterari pos-
sunt. Quis enim Alexandrum illum magnum, eiusq; præclara & ingentia
facta, qui in breuiss. temporis spatio, totum terrarum orbem suo subiecit
imperio, nosset? Quis diuum Iulium, non minori uirtute et fortuna prædi-
tum? quis Hectora & Achillem? quis præterea multos excellentes uiros?
quorum Catalogum hic recensere, per longum foret, quorum aliqui pro sa-
lute patriæ, & Reipub. maxima subire pericula non dubitarunt, qui exilia
& plurima infortunia, pro iuuanda, amplificanda & liberanda patria su-
stinuerunt. Quis inquam, tot tamq; præstantes uiros nosceret? quæ nam
esset horum per tot secula memoria? nisi doctorum hominum studio, per-
petuæ memoriæ consecrati essent. Sunt enim multi et magni uiri, qui mul-
tum uirtute, prudentia, magnisq; animi & corporis dotibus ualuerunt, ut
uel magnum etiam præsent Achillem, quorum memoria, ob hanc unicam
saltem causam, quod literis & sacro Musarum præconio non comprehensa
est, omnino intercidit. Quod & Horat. libr. 4. Od. testatur inquiring.
Vixere fortes ante Agamemnona Multi, sed omnes illachrymabiles Vre-
gentur, ignoti; longa Nocte, carent quia Vate sacro. Cum itaq; & ego
uideam, tuam Mag. omni studio, industria, animiq; uiribus, omni deniq; co-
natu, in hoc unicum incumbere, huic unico deditam esse, ut uirtute & ma-
gnanimitate tua, & singulari animi corporisq; fortitudine, commoda &
utilitates totius ampliꝝ. Regni Sarmatiæ amplificare, dilatare, augere, &
promouere indies magis magisq; possis, idq; nullam aliam ob causam,
quam ut honestam & nunquam intermorituram famam (quæ omnibus di-
uitijs alijsq; rebus pulcherrimis præstat, cuiusq; maxima est habenda ra-
tio) tibi compares; hoc breui & exiguo Carmine, tuas laudes extollere,

A ij

et memo

et memoriae proderet uolui. Et quamuis mei iuuenilis ingenij uires tante non sunt, ut animi tui magnitudinem aeternae memoriae, satis sufficienter commendare possint, malimque ego ipse ex alijs tali quippiam, quod sit operae pretium, audire, quam meum sermonem ingerere: tamen Mag. tuam Vir generosissime maiorem in modum, pro singulari tua humanitate, oro, ut hoc meum iuuenile ludicrum, pro tua excellenti humanitate, grato animo suscipere, approbare, defendere, et a maleuolorum calumnia, tuo patrocinio uindicare non dedigneris. Sunt enim haec tempora iniquissima nostris studijs, quibus magnanimos uiros, qualis et tu es, fauere decet. Omnis et honestarum artium tutela ipsis commissa est. Ad tuam igitur fidem atque humanitatem, licet antea prorsus ignotus, nulloque familiaritatis usu tibi deuinctus, sed sola egregiae tuae uirtutis fama, quae omnium ore celebratur, adductus et impulsus, confugio, speroque neque tibi, neque alijs honestis, et candidè iudicaturis uiris, hoc meum studium (quo primam officiorum meorum significationem exhibere uolui) ingratum, sed omnino acceptum fore. Quod si a tua Mag. fieri perspexero, posthac, ceu stimulis impulsus, ea quae maius laudis et gloriae incrementum, non tam tuae Mag. quam toti Sarmatiae Regno allatura sunt, aggrediar. Postremo me meaque studia, tibi alijsque bonis et honestis uiris, quibus omne meum studium, et industriam animi defero, humiliter commendo. Deumque Opt. Max. uotis ardentibus oro, ut Mag. tua Nestoreos feliciter annos ualeat, uirtutisque tuae egregia laus et gloria, apud omnes, uberiore cum incremento, et gratiarum actione dilatetur, et inno-tescat.

Datum Cracouiae 6. Calend. Augusti.

Anno M D L III.

DE FLUVIO

MEMELA LITHVANIAE QVICVRA
& industria Generosi ac Clarissimi uiri Domini
Nicolai Tarso, nauibus permeabilis factus est.
Carmen Elegiacum.

AVTHORE ADAMO SCHRO.
THERO SILESIO.

ESt locus umbrosis circumdatus undiqꝫ syluis,
Hic ubi littoreas Istula uoluit aquas.
Quo nullus Grachi iucundior extat ad urbem,
Auxiliare liquet numen inesse loco.
Sæpius hic celebres, clarissima turba, Poetæ
Fingunt tranquillæ Carmina mentis opus.
Dum pius hic chari laudes meditatur Iolæ,
Complacet & Domino qualibet arte suo.
Dum cupidus teneræ formam canit alter amicæ,
Optat & ut placito possit amore frui.
Hic quoqꝫ me Vatum uestigia prima sequentem
Delectat uaria conditione locus.
Cuius ad arcanos, uiridi sub fronde, recessus,
Mouimus hesternò musica plectra die.
Dumqꝫ Sigismundi famamqꝫ decusqꝫ potentis,
Qui regit imperio, Sarmata regna, cano,
Dumqꝫ laboro Ducum mihi cõciliare fauorem,
Quemlibet & studiis demeruisse meis,
A iij Dumqꝫ

Dumq̄ precor triplici trinū modulamine numē,
Vt Regni, maneant candida fata, statum.
Dulcibus impletur subitò concentibus aër,
Gratius humana uoce sonatq̄ melos.
Audio festiuis mulcentem plausibus auras,
Et dare nescio quem, Carmina læta, chorū.
Quidquid id est, inquam, cœlo descendit ab ipso,
Humanæ superat quodlibet artis opus.
Progredior, rerum succensus amore nouarum,
Quis precor his præsens (si queat) esse neget?
Progredior, sonitumq̄ sequor, sonitūq̄ sequēdo,
Ad ripas uenio lenè fluentis aquæ.
Hic Arethusa choros, hic Xantho, Lysis & Opis
Ducit, & ad numerum cōmouet apta pedes.
Hic Ephyre, Drymo, fontanaq̄ numina circum
Saltant, his etiam cærula Doris adest.
Plurima Nerèidum ludebat in amne Dearum,
Mirificis aliæ dum cecinère modis.
Præterea niuæ circum caua littora Nymphæ
Nectebant facili, Laurea ferta, manu.
Cumq̄ salutarent te fluminis Istula regem,
Edidit harmonicas Callianassa notas.
Ipsa sed, ô aliis quantum formosior, Ægle
Nescio quos læto protulit ore sonos.
Adde quod & Dryades aderant, hilaresq̄ Napæe,
Nec Pan, cum Satyris, saltibus aptus, abest.
Hæc ego conspiciens, propius uestigia uerto,
Nobile concipiens, aure patente, melos.

Cumq̄

Cumq; susurrantes dubius spatiarer ad undas,
Hæc noua lætitiæ quid sibi signa uelint,
Nympharumq; chorus tantū cur gaudeat, & quæ
Excitet æquoreas undiq; causa Deas.
Ecce caput raucis udum pater exerit undis
Istula, conspicuum reddit & ore uadum.
Et quamuis urnam manibus, sceptrumq; tenebat,
Ob maiestatem plusq; uerendus erat.
Attamen ut dubium me circum littora uidit
Humida, solertes ferre, referre pedes.
Talibus ipse meas implet sermonibus aures.
Optime Pierii cultor Adame chori,
Accipe quæ noua sint festiui gaudia plausus,
Accipe cur resonant, carmina læta, Deæ.
Non abit ulla dies quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et ueniat quidquid numinis unda fouet.
Illa Sigismundi, tali mihi Principe dignas
Enumerat dotes, ingeniiq; decus.
Omnibus hæc narrat quàm iustus et oibus æquus
Regnet, & in miseros quam pius esse solet.
Tertia commendat studium uirtutis auitæ,
Et ueram pura cum pietate fidem.
Præterea memorat quàm sacras Palladis artes
Sedulius assidua sedulitate, colat.
Et quanto semper doctos dignetur honore,
Quorum mens rerum cognitione nitet.
Principis unde sibi nomen sapientis adeptus,
Et palmam summæ nobilitatis habet.

Alter

Altera Sarmatici canit aurea sæcula Regni,
 Rege sub hoc nullis interitura malis.
 Commemorant aliæ curâ quàm strenuus omnē,
 Pectoris & studium concitet omne sui.
 Inclyta ne Regni Respub. corruat unquam,
 Salua sed ut stabili sit, maneatq; pede.
 Ut sua, Posteritas olim, seriq; nepotes,
 Pectoris infracti Regia facta sciant.
 Hæcq; Polonorū dum prospera tempora laudat,
 Lithuanix clarum prædicat illa statum.
 Nam quæcunq; prius Litauis incognita terris,
 Priuabant summos utilitate uiros.
 Vel quæ tractandis semper nimis ardua rebus
 Visa, uel humana non superanda manu.
 Hæc modo iam partim lucem produxit in ipsam
 Cura Sigismundi, consiliumq; Ducis.
 Suntq; Luthomirski studio, uigiliq; labore,
 Commoda per uarios multa parata locos.
 Ille uir Æmonium uirtutibus æquat Achillem,
 Æquat & egregios nobilitate uiros,
 Hic ut tergeminum Regis dilatet honorem
 Nititur, & Regni sedulus auget opes.
 Alter & eximix Petrus uirtutis alumnus
 Id studet, ut Regni promoueantur opes.
 Namq; Sigismundo dum uult placuisse potenti,
 Nullum curarum ferre grauatur onus.
 Nōabit ulla dies quin huc mea gaudia Nymphæ,
 Et ueniat quidquid numinis unda fouet.

Ioanes Lu
 thomirski S.R.
 M. curiæ the-
 saurarius.

Petrus Ch
 walicowski ma-
 gnus Procura-
 tor Magni Du-
 catus Lituanix.

Hæc &

Hæc & plura mihi dum quælibet ore recenset,
Sarmatiæq; rogant, candida fata, Duci.
Nunc at habent alias ad dulcia iubila causas,
Cum Nymphis Dryades, Nereidesq; Deæ.
Nunc & habet homines cur dulcia iubila cantet,
Et reddant Domino, carmina læta, Deo.
Inter ego claros non ultimus Istula Diuos
Gaudeo, res fructu non caret illa suo.
Et tu si Superos tantum Schrôtere ueris,
Ede profecturo gaudia nostra stylo.
Ortus apud Grodnæ sinuosus Memela fines,
Saxoso Litauas perluit amne plagas.
Præterit & Caunæ loca mercatoribus apta
Vrbis, & inde tuos Prussia stringit agros.
Inuius hic semper, nec nauibus utilis ullis
Et propter rupes & fera saxa, fuit.
Hunc aggressus erat Heroum maximus ordo,
Tentauit durum quisq; laboris onus.
Peruius at postquam nullâq; meabilis arte
Vilus, opus fortes destituere manus.
Regales uerò cum posset reddere fructus,
Si foret excultis, nauibus aptus, aquis.
Ecce, potens quo se gens fert Tarſouia claram,
Tarſo, sui studium pectoris omne parat.
Pectoris omne parat studium, uigiliq; labore,
Naturæ solidum frangere tentat opus.
Tentat & infracta rem mente fatigat, ad illam
Euentu multi posse carere putant.

Nicolaus
Tarſo.

Dum tamen inuidiam spernit uirtute parandam,
Dumq̄ uocat faciles, in sua uota, Deos,
Vincit & assiduo cedit natura labori.
Memela nunc spatio liberiore fluit.
Quiq̄ prius rupes, & inutile pondus alebat,
Nūc uehit omnimodas, nauibus aptus, opes.
Nunc merces uarias plenis uehit amne phaelis,
Multaq̄ uicinis fert alimenta locis.
Hoc opus attulerit Regni quot commoda gazis,
Et quantum Litauos utilitate iuuat,
Quantumuis Dryadesq̄ uelint, uiridesq̄ Napææ,
Nulla potest certis enumerare notis.
Prætereà Tarſo gelidas ubi Memela ripas
Stringit, habet gratis pinguia rura locis.
Hæc poterunt Domino maiores reddere fructus,
Ditabit mira Memela gratus ope.
Quantumuis famam tanta uirtute paratam
Non ullo pretii tempore uincet honos.
Propterea Schrötere uides, resonantia plectro
Carmina, cæruleas concelebrare Deas.
Gaudent, sc̄q̄ uolunt nostris æquare Deabus,
Quod uaga iam puro flumine regna colent.
Sæpe quod humanas poterunt & carpere uoces,
Mulcebit quoties nauita lætus aquas.
Adde quod & placidas florentia ferta per undas
Sæpius à populo prætereunte, ferent.
Hinc etiam Satyri syluestria numina, læti
Ducunt lasciuos per iuga summa choros
Lignorum

Lignorum poterunt plenis excludere syluis
Pondera, quæ cupido deferet amne ratis.
Sic uarios hominum genus hæc aptabit ad usus,
Sic Satyricæ ferent apta theatra iocis.
Omnia iam rerum lætantur, & omnia gaudent,
Turbaque Nympharum, Naiadumque chorus.
Nulla dies & erit quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et ueniet quidquid numinis unda fouet.
Magnificasque ferent miro modulamine laudes
Tarlonis, summi clara per astra Poli.
Ante licet magnum sua cognita fama per orbem
Viuit, & ad Solis uergit utranque domum.
Vel quod magnificis, clarisque parentibus ortus,
Et genus à summis nobile ducit auis.
Vel sua quod uirtus uarias laudata per oras
Existit, pretio nec caret illa suo.
Multorum mores, multas quod uidit & urbes,
Et didicit linguis quattuor ille loqui.
Quod uacat & sacris, concessa per otia, Musis,
Palladia multum laudis ab arte ferens.
Præbet & hospitii depulsis iura Deabus,
Et doctos certa conditione iuuat.
His, aliisque licet clarus uirtutibus, inter
Magnanimos habeat nomina clara Duces.
Attamen ingentes æterno Carmine grates,
Et sibi dum Nymphæ, Naiadesque parant.
Audiet ista patens conuexi machina cœli,
Quidquid et occasus quodquid & ortus habet.

Nicolaus
Tarlo.

Iohannes
Kopp. factor
Regius.
Conrad.
knopff.
Bernhard⁹
butner.

Iam mercatores quidam, qui commoda Regni
Tractant, hauserunt auribus illa suis.
Mirantur, quod, quæ nulli superanda putârant,
Tarfonis studio iam superata uident.
Mirantur, laudantq; uirum, statuuntq; trophæa,
Signa per æternos non abolenda dies.
Dumq; sibi cupidi prosperrima quæq; precâtur,
Pocula proq; uiri multa salute leuant,
Quid facient alii, quos Regni publica tangit
Cura, Palatini? magnanimitq; Duces?
Quotq; dabit meritas Maiestas Regia grates?
Quo dabit & dignum semper honore frui?
Præmia me certè nam iudice multa meretur,
Dignus ob id tota posteritate legi.
Quas Radiuillus aget gratanti pectore grates?
Cuius fœcundos Memela lambit agros.
Qui Radiuillus habet nullum uirtute secundum,
Princeps, consilio, diuitiisq; potens.
Qui licet à claris titulos proauis atauisq;
Et genus inuictæ nobilitatis habet.
Ut sua uel totum sint nomina nota per orbem,
Stemmatis & clari, dextera fama, sui.
Nam sibi nobilitas concessit, & inclyta uirtus
Ut tria cum gemino cornua pisce gerat.
Cornua, uenatrix quibus utitur ipsa Diana,
Cum generosa truces cuspide figit apros.
Addita cornigeræ sunt aurea lumina Lunæ,
Ferreus & fortis calceus unus equi.

Nico. Ra^s
dziwil Dux in
Oliká Palatin.
Wilneñ.

Heroum

Heroum quæ sunt insignia uera potentum,
Magnorum quæ sunt præmia uera Ducū.
Non tamen hac fuerat palma contentus auorum
Nec ratus est fortes ista decere uiros.
Sed sibi cura fuit propria uirtute, manuq̃
Nobilium uerum posse parare decus.
Ergo diuersi dominator Carolus orbis,
Vidit ut infracti, fortia facta, uiri.
Hunc quantum potuit signis ornauit opimis,
Addidit & claro, nobile stemma, Duci.
Addidit & titulis Aquilam pernicibus alis,
Qualem Ferdinandus Cæsar in orbe gerit.
Insuper adiunxit galeas ex ordine trinas,
Quilibet ex merito, pulchra corona, decet.
De quibus ascendit mediam Iouis ales, & huius
Erectum præstans fert diadema caput.
Estq̃ leo primæ, rapidum tenet altera Gryphem,
Ista decent fortes, fortia signa, Duces.
Este nec immemores uos qui uaga rura tenetis,
Memela qua placidis labitur altus aquis.
Vos duo Slucēses, claro de stemmate, fratres.
Vester ut aeterno tempore duret honor.
Cingite Tarſonis uictrici tempora Lauro,
Signaq̃ gratificæ plurima mentis eant.
Tu quoq̃ nobilium lumenq̃ decusq̃ uirorum
Virzylō, quem Litauī, Sauromataeq̃ colūt.
Quem tantis opibus, foelicia fata, bearunt,
Diuitis ut superes splendida quæq̃ Mydæ.

B iiij Profer

Georgius
et Simeon
Duces Slucēſ.

Georgius
Wyrzylō Ca.
ſtell. Wilneſ.

Profer amabilibus gratantia carmina uerbis,
Nobile Tarlonis nomen ad astra ferens,

Nico. Ra
dziwil Palat.
Troceń.

Et qui Trocenses rectè Radiuille tueris,
Dum tibi Tarlonis cura laborq; placet.

Stanislaus
Kyska Palat.
Wytebień.

Et tu, quem summis uirtus Heroibus æquat,
Qui populi curam Wytebiensis agis,

Edite iam gratam testantia iubila mentem,
Edite iam multis iubila læta notis.

Stanislaus
Kyskał. Pocil-
lator Magni du-
catus Lituaniae.

Quiq; tuum Kyszgal caput inter nubila condis
Virtutis certa dexteritate tuæ.

Gaudia multa uelis uariis effundere signis,
Materiam plausus cur mediteris, habes.

Hierony-
mus Kotkowitz
Castalla, Trocē.

Tuq; potes dignas, præstans Hieronymè, laudes
Tarlonis grato concelebrare modo.

Et sibi pro tali studio, taliq; labore,
Grates synceris dicere nominibus.

Hierony-
mus Koryczki,
Magister equi-
tum S. Regie
Majestatis.

Nil minus egregia clarus uirtute Koryczki
Tarloni grato pectore gratus erit

Vos etiam quibus est commissa potentia rerum,
Inclyta Sarmatici regna per ista soli.

Si clarum patriæ bene custoditis honorem,
Si quid uos Regni, prospera fata, mouent.

Vnanimi meritas persoluite pectore grates,
Et date sacrificis, thura Sabæa, focus.

Et, qui Tarlonis, summum laudate parentem,
Noluit euentu facta carere suo,

Dumq; uiro fœlix, faustumq; rogabitis æuum,
Nomina Tarlonis nescia mortis erunt.

Istula

Istula qui fluuios inter sum maximus omnes;
Quos colit aut unquã Sarmatis ora colet!
Tarloni semper fœlicia fata precabor,
Dum mea Sarmaticos unda rigabit agros.
Nulla dies & erit quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et ueniet quidquid numinis unda fouet
Acta& magnanimi referent Tarlonis, ut ille
Longæua possit posteritate frui.
Ergo age quod Nymphæ faciunt uiridesq; Nappæ,
Istula quod facio, quis sibi turpe putet?
Hos & mansuris mandes Schrôtere libellis,
Quos tibi sincero fudimus ore sonos.
Dixit, & umbrosis subito caput ingerit undis,
Et sua Nympharum quælibet antra subit.
At postquã calamo, quæ iusserat ille, notãram,
Scripta dedi rapido nostra ferenda noto.
Ut quascunq; notis agitata ferentur ad oras
Nobile Tarlonis nomen in orbe canant.

F I N I S.

Hic in quo sunt homines in ordine
 Quos colit in hoc mundo Barmanus ordo
 Tunc in hoc mundo est in hoc mundo
 Dum non in hoc mundo in hoc mundo
 Nihil est in hoc mundo in hoc mundo
 Et non est in hoc mundo in hoc mundo
 Ad hoc in hoc mundo in hoc mundo
 Longius est in hoc mundo in hoc mundo
 Ergo est in hoc mundo in hoc mundo
 In hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 Hoc in hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 Quos in hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 Dicitur in hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 In hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 Ad hoc in hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 In hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 In hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo
 In hoc mundo in hoc mundo in hoc mundo

S E N T E N T I A

